

Országos Rabbiképz - Zsidó Egyetem Könyvtára

Adi 21² gbre 1699.
Canson sac. & dite ditto Modone

זה מאת המהרש"א חתמו



J 452

nka
Nemzeti Kulturális



R/6

A. 105

JOHANNIS BUXTORFI FIL.
S. Theol. & Ling. Hebr. Professoris,

EXERCITATIONES

Ad

HISTORIAM,

- I. ARCÆ FOEDERIS.
- II. IGNIS SACRI ET COELESTIS.
- III. URIM ET THUMMIM.
- IV. MANNÆ.
- V. PETRÆ IN DESERTO.
- VI. SERPENTIS ÆNEL.

Quibus

Sacra hæc Vet. Testamenti Mytheria, præcipue ex
HEBRÆORUM, quæ VETERUM quæ RECENTIUM,
monumentis enucleantur; Variæ QUESTIONES THEO-
LOGICÆ & PHILOGICÆ discutuntur; simul
etiam complura SCRIPTURÆ LOCA
explicantur, illustrantur,
vindicanur.


*Cum Indicibus, Capitulorum & Questionum;
Locorum Scripturæ; & Rerum.*

Cum PRIVILEGIO ad XX. ANNOS.

B A S I L E A E,
Typis GEORGII DECKERI, Acad. Typogr.

ANNO MDC LIX.





V I R I S

*NOBILISSIMIS, MAGNIFICIS,
AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,*

D. JOH. RODOLPHO WETSTEINIO
CONSULI,

D. JOH. HENRICO FALCKNERO

D. NICOLAO RIPPELIO

TRIBUNIS PLEBIS,

TOTIQUE SENATUI

GRAVISSIMO

INCLYTÆ REIPUBLICÆ

BASILEENSIS,

PATRIBUS PATRIÆ VIGILANTISS.

DOMINIS GRATIOSISSIMIS,

PATRONIS BENIGNISSIMIS,

Gratiam, Pacem, & omnigenam Prosperitatem

à DEO per CHRISTUM precatur

JOHANNES BUXTORFIUS D.

S. Theol. & Ling. Hebr. Professor.



Ræclarè Apostolus de Lin-
guarum dono monet, VIRI NO-
BILISS. MAGNIF. AMPLISS.
totum illius usum consistere *in Pro-*
phetando, ut Ecclesia Dei edificetur,
hoc est, non utendum esse eo ad va-
nam ostentationem & gloriam, sed
ad interpretationem Scripturæ & Prophetiarum, ut
Ecclesia inde, tum in Dei & rerum Divinarum cogni-

a 2

EPISTOLA

tionem, tum in vera pietate ædificetur. Linguas ad hunc scopum consequendum imprimis utiles & necessarias esse eas, quibus Verbum Dei primitus vel est scriptum, vel etiam expositum, nemo, nisi rationis expers, vel ignorare vel negare potest. Non solum enim puriores, sed & magis gratæ & efficaces sunt aquæ ex ipso fonte haustæ, quam ex rivis. Et quò quidque primæ suæ origini & scaturigini est propius, eò magis est syncerum & intemeratum. Posteaquam ergo Deus Opt. Max. mihi quoque ex multis minimo aliquantam harum Linguarum facultatem gratiosè indulxit, & ad eas publicè docendas clementer vocavit, hunc mihi semper præcipuum propositum habui finem, ut, pro mensura accepti doni Christi, omne meum studium eò conferrem, ut & ipse per eas in Verbi Dei genuino intellectu proficerem, & in usum aliorum quoque inde proferrem, quibus Loca Scripturæ quædam vel obscuriora, vel difficiliora, gratâ aliquâ luce illustrentur.

Ad quem finem etiam spectant præsentés, quas nunc in publicum produco, Exercitationes, quibus nonnullis Veteris Testamenti Historiis, ex fontibus Hebraicis accuratiùs paulò excutiendis, operam aliquam impendere, mihi visum est. Earum sunt numero sex, omnes selectissimæ, & maximè illustres, sive spectemus rerum seu gestarum seu narratarum circumstantias, in quibus omnia Divina, miraculosa, Dei que Opt. Max. potentiam & bonitatem gloriosè commendantia; sive rerum sub eis occultatarum & latentium Imagines & figuras, reconditis, & vel ad Christum, ceu venturum tum Messiam, nos deducuntibus, vel eundem exhibentibus mysteriis, gravidas & refertas.

Prima

DEDICATORIA.

Prima illarum agit de ARCA FOEDERIS DEI, cujus totam historiam ex variis Scripturæ locis methodicè & ordine pertexo. Hujus Divina præstantia uti olim non solum inter Judæos, sed & inter Gentes, stupenda erat & adoranda: ita meritò nobis Christianis non decet esse ignotam. Erat illa facta non humano arbitrio & consilio, sed DEI ipsius jussu & mandato; architectus ejus non fuit vulgaris aliquis & de face artifex, ab hominibus seu quæsitus seu oblatum; sed Bezaleel, nominatim à Deo ad hoc opus vocatus, extraordinariis que naturæ & artis donis à Spiritu Sancto instructus; *Ἐργασίας* erat Moses, qui formam ejus non ex suo ingenio, sed juxta Ideam absolutissimam sibi in monte Dei è cælo exhibitam, delineavit & dictavit; constabat ex lignorum Cedrinorum, quæ in magno habebantur pretio, specie omnium nobilissima; auro solido intus & extus tota quanta erat obducta & corusca; Operculo affabrè factò, & Angelicis Cherubinatorum duorum imaginibus, ex eodem metallo fuis, occlusa; complexu suo continebat Tabulas Legis Divinæ verè gemmeas, digito ipsius Dei sculptas; unà cum aliis Divinis itidem Cimentis, jussu Dei ad perpetuam memoriam illic asservatis; Volumine putà Legis toto Mosis ipsius manu scripto, Virgâ Aharonis, & Urnulâ Mannæ; nulli erat fas eam gestare, nisi Sacerdotibus à Deo ad id destinatis & sanctificatis; inspicere vel contingere prorsus nemini, sub mortis pœna; unde velis pretiosis cooperiebatur, & perticis oblongis, aureis annulis intrusis, erat instructa, quibus à suis bajulis, sine ejus contactu, apprehenderetur & ferretur; reposita erat in intimo Sanctuarii adyto & penetrati, quod *Sanctum Sanctorum*

a 3

EPISTOLA

vocabatur, in quod præterquàm Sacerdoti summo ingressus patebat nemini, & huic etiam nonnisi uno per annum, qui Expiationum erat, die. Inde, sine speciali Dei mandato, eam efferre vel loco movere non licebat. Hæc, & alia externa ejus decora, ut ut splendida sint & eximia, si ad sensus nostros ea exigamus; si tamen cum reliqua ejus præstantia conferamus, nil fuerunt nisi crepundia, & puerilia quasi rudimenta, Israëlitarum infantia & carnali ingenio accommodata, ut illis ad cultum veri Dei blandius allicerentur, & intra certas metas & cancellos continerentur; tum etiam majorum rerum documenta. Præcipuum ejus decus & καμήλιον erat DEI ipsius Majestas & præsentia, quæ illic erat veluti affixa & inclusa. Arca hæc Dei, inter Israëlitas habitantis, erat interius quasi & secretius penetrabile & περιεῖον, ubi in rebus dubiis inveniri, ubi conveniri, & ad audientiam præstò semper adesse voluit. Cujus certissima documenta erant, tum Columna Nubis & Ignis miraculosè eam semper comitata & operiens; tum quòd, quotiescunque Mosi, pro rebus ad salutem populi pertinentibus, DEI OS consulere visum fuit, ex Arca, & nominatim interstitio illo exiguo, quod inter duos Cherubinos Operculo Arca affixos erat, Responsum ab eo voce sonorâ, distinctâ & articulatâ, acceperit. Miraculo omnem humanum captum superante! Deum nempe infinitum & immensum, qui cœlum, terram, maria, & totum hoc universum quantum quantum, & si quid extra illud est, replet & excedit, intra Arca hujus angustias, quæ non trium integrarum ulnarum erat, imò spithamæ unius spatii (quod inter duos Cherubinos, unde vox Dei prodibat, notant) in populi sui gratiam se inclusisse & quasi circum-

DEDICATORIA.

circumscripsisse. Hinc præclara illa Elogia & Tituli superbi, quibus in Sacris literis exornatur, eò usque ut de Arca, non aliter ac de Deo ipso loquerentur, eam veluti Deum ipsum alloquerentur. Hinc honores illi propè Divini Arca delati, ut Preces, Sacrificia, sacraque reliqua omnia ad Arcam, & facie ad ejus situm conversâ, peragerent; non quòd hæc structuræ illi artificiali vel competere, vel tribuerent; sed quòd Deum illic simul ex promissione præsentem crederent & experirentur. Hinc Miracula varia ad Arca præsentiam, non solum inter Israëlitas, sed etiam alienas Gentes, edita, in Philistais putâ & Deo ipsorum Dagone, quem captiva, & in triumphum acta, de throno suo miraculoso casu dejecit, & in frustra dissipavit. Hujus usu gaudebant toto tempore Templi primi, cujus primaria erat Gloria. Eo vastato, quorsum devenerit; an unâ cum Templo in cineres redacta? an in Babyloniam inter spolia abducta? an tempestivè in asylum aliquod occultè translata & recondita fuerit? anxie inquiritur. In Templo secundo defuisse, constans Hebræorum plerorumque est sententia. Cur defuerit, consideratione dignum, sed à Judæis cæcitate percussis non animadversum. Latere adhuc hodiè alicubi, & Messia: sui tempore sibi restituendam, febriculosè sibi persuadent; contrarium Deo per Prophetam Jeremiam testante, atque etiam ratione sanâ dictante. De his, quæ summis duntaxat attingi digitis, & aliis hinc natis, hucque pertinentibus, primâ hujus Tractatus parte copiosè agitur, & varia tum ex Hebræis producuntur, tum contra eos disputantur.

Secunda

E P I S T O L A

Secunda pars tractat de IGNE COELESTI & SACRO. Hic est ille Ignis, qui *primò* in Tabernaculi Mosaici inauguratione, ad primas Aharonis oblationes, Altari igni comburendas impositas, nullo corporali Igne præfente, à facie Domini gloriose descendisse, & holocausta, totius populi cum admiratione & stupore, consumpsisse legitur, Levit. cap. 9. *secundo* iterum, eodemque modo, cum Salomon structuram Templi absolvisset, Arcam cum cæteris vasis sacris in illud intulisset, precibusque & sacrificiis propè innumeris Deo dicasset, uti legere est 1. Reg. 8. v. 10. 11. & 2. Paral. 7. v. 1. 2. 3. Ignem hunc utrumque, posteaquam semel de cælo descendit, constanter deinceps, toto tempore tum Tabernaculi vagi Mosaici, tum Templi Salomonici, in Altari resedisse, & Sacrificia in eo oblata absumpsisse, communi ferè Authorum sententiâ est receptum. An & quomodo id vel fuerit, vel esse potuerit? non ita clarum. Itaque ad hæc, quâ potè investiganda, inquiri; Quis & qualis hic Ignis fuerit? Naturalis an Miraculosus? an idem ille qui Tabernaculo & Arcæ incumbebat, an alius & novus? An Mosaicus idem cum Salomonico? Utrum, posteaquam semel in Altare est delapsus, in eo manserit, & ut Authores non vulgares tradunt, perpetuâ Sacerdotum curâ, lignis appositis, foci & conservatus fuerit? Utrum sub Templo secundo quoque fuerit, cum nihil in Scriptura Canonicâ de ejus novo descensu vel usu legatur? His subjiciuntur miraculosa quædam, quæ de hoc Igne notant Hebræi; veluti, quòd in Altari ligneo, laminis æneis tenuibus obducto, diu noctuq; inextinctus arserit; & tamen nec æs liquefactum, nec lignum combustum fuerit; quòd, licet

D E D I C A T O R I A.

licet Altare in medio atrii sub aperto cælo esset, tamè nec Imbres aut nimbi ulli Ignem unquam extinxerint, nec Ventorum impetus & vehementia columnâ fumi ab eo rectâ in sublime ascendentem dissipârit.

Tertia est de Oraculo illo Divino, Pectorali summi Sacerdotis inserto, quod URIM & THUMMIM Hebraicè vocatur. Cum omnium reliquorum vasorum & vestimentorum Sacrorum Materia & Forma describantur, de his solis nihil, apertis quidem & disertis verbis, commemoratur; cætera omnia jubentur ab Artificibus fieri, hæc nudè jubentur à Mose pectorali indi. Nomina per se satis sunt nota, sed circa subjectam materiam valdè ambigua, unde Interpretes vel Hebræa retinuerunt, vel illa aliter atque aliter reddiderunt, Lutherus Germanicè, *Licht und Rechte*. Præceptum Divinum Mose de his datum legere est Exo. 28. 30. his verbis: *Et indes pectorali judicii URIM & THUMMIM & erunt super cor Abaronis, cum ingressus fuerit ad DOMINUM (in Sanctum Sanctorum) & portabit iudicium filiorum Israël super cor suum coram Domino jugiter.* Usus eorum erat, ut Sacerdos summus iis indutus, & de rebus gravibus, atque ad Ecclesiæ salutem spectantibus, ritè consultus, certissima inde responsa à Deo acciperet & redderet, quod pluribus exemplis experientia comprobavit. Itaque, Quid hæc URIM & THUMMIM fuerint? A quo, de quibus rebus, & quomodo interrogatio per ea facta fuerit? Quâ virtute responsa ex eis prodierint & innotuerint? Quamdiu inter Israëlitas, & An etiam sub Templo secundo fuerint? Quas ob causas Deus populo suo singulare hoc in rebus dubiis se consulendi medium indulgere voluerit? de his, inquam, quantum vel ex Scriptura elicere, vel ex Hebræorum monumentis,

b

EPISTOLA

per mediocritatem meam eruere mihi licuit, studiosè collegi.

Quarta pars tribuitur Historiæ MANNÆ, quam Moses describit Exodi cap. 16. Cùm nempe populus Israëliticus in deserto oberraret, & de penuria ciborum, quâ mox fame durâ sint enecandi; magno cum murmure adversus Deum & Mosē, importunè quererentur, statim per Mosē in crastinum diem Panem de cœlo se ipsis depluiturum promisit, & re ipsa præstitit Deus, quod MANNÆ vocabulo ab ipsis insignitum fuit. Historia memorabilis & insignis, in qua multa miraculosa, mystica, & consideratione digna occurrunt, tum de ejus descensu, & colligendi ratione; tum de portione ejus in Urna jussu Dei, in perpetuam rei gestæ memoriam, asservatâ, quæ singula recensere longum foret.

Quinta continet Explicationem Historiæ PETRÆ IN DESERTO, quando Deus Israëlitis, cum Siti in deserto confluctantibus, è dura & sicca petra, fontem miraculosè elicuit, qui Aquas illis copiosè suppeditavit, eosque per totum desertum est sequutus & comitatus; *primò* quidem cùm castrametarentur in Raphidim, quæ historia extat Exod. cap. 17. à v. 1. ad 8. subinde cùm hic nonnihil exaresceret, renovato beneficio, in *Kadesch*, de quo Numer. cap. 20. Et quia Tertii quoque Putei miraculosi mentio fieri videtur Numer. cap. 21. v. 16. 17. 18. de hoc quoque nonnulla subjunguntur.

Sexta dicata est Historiæ SERPENTIS ÆNEI, jussu Dei à Mose in deserto erecti, quæ extat Numer. cap. 21. v. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Cùm enim ex longis itinerum per desertum ambagibus tædium conciperent, atque ex eo impatientiâ victi in duras & diras contra Deum & Mo-

DEDICATORIA.

& Mosē voces erumperent, Deus irâ commotus, venenatos serpentes in eos emisit, quorum moribus lethiferis magna pars populi miserè periit. Cùm verò peccatum suum agnoscerent, faterentur, & apud Mosē deprecarentur, Deus, Mosi precibus victus, hoc salutis Remedium ostendit, Serpentem æneum jussit eum facere, & eundem in publico & eminenti loco populo aspiciendum proponere & erigere, cum addita hac promissione, fore ut omnes morfi per ejus aspectum sanentur. Quæ omnia dicta facta fuere.

Hæc sunt summa ferè rerum Capita hoc libro pertractata, quæ hoc commune inter se habent, quòd omnes istæ Res, TYPICI fuerint illustres & memorabiles CHRISTI, ceu futuri & venturi tum temporis Messiae, & beneficiorum ejus, magnâ ex parte Novi Testamenti, Christi & Apostolorum ejus testimoniis comprobati. Ratio tractandi est, quòd præcipuè mihi curæ fuerit, ut Textus Scripturæ Sacræ accuratè enucleetur, & ea, quæ vel difficultatem, vel dubium & scrupulum aliquem habent vel habere possunt, quæque ab Interpretibus vel parcius tacta, vel prorsus intacta videbantur, ulterius illustrentur, & curiosioribus quoque rerum Sacrarum scrutatoribus aliqua ex parte satisfaciam. Feci illud potissimum ex Hebræis tum Veteribus, tum Recentioribus, quorum scrinia, quotquot mea mihi Bibliotheca suggerere potuit, & quoad per vires ingenii licuit, in hunc finem aliqua cum diligentia excussi, & ex illis quæcunque huc pertinere, vel facere videbantur, erui, & suis locis produxi & explicavi. Hæc enim à me & Professionis ratione expectantur, & à Sacræ Philologiæ studiosis flagitantur, quibus hac vice gratificari volui.

Hunc meum qualem qualem ingenii fœtum, cur

EPISTOLA

sub Vestro, PROCERES Nobiliss. Ampliss. Spectatissimi, Illustri Patrocinio prodire voluerim, ejus instituti ratio non anxie mihi quaerenda, vel è longinquo petenda. Possem hic allegare spectatam Vestram erga Deum & ejus Verbum Pietatem; syncerum in Vero Dei cultu conservando & promovendo Zelum; munificam in Bonis literis ac disciplinis, harumque seminariis Academiâ & Scholis, paternè fovendis beneficentiam; erga Exules & afflictos liberalitatem, laudatam in Reipublicæ administratione prudentiam, & alia, quibus Reipublicæ Vestrae splendorem, famam & auctoritatem conciliatis. Amplissima superpetere Argumenta, si Vestras, Qui nunc ad Clavum sedetis, Quosque nominatim compellandos censui, laudes celebrare & huc accensere vellè. Quæ Tua extent, Magnifice D. CONSUL WEI STEINI, in Reipublicam nostram, à multis retrò annis, per difficillima ejus tempora, tuâ Virtute, sudore & labore parta, innumera præclara merita, nemo, nisi qui res nostras omnes, ignorare potest. Qui, ut alia omnia taceam, gravissimâ, pro communis Patriæ libertate asserendâ, eaque geminâ, totius Foederis Helvetici nomine, Legatione functus; primò quidem ad augustum illum, & omnium seculorum memoriâ celebrandum cunctorum S. R. Imperii Statuum, & Regum quoque Exterorum, conventum Monasterii & Osnabrugi, pro Pace Germanicâ reducenda, habitum; post etiam ad D. Imperatorem ipsum; quæ tua sit in rebus arduis gerendis dexteritas, prudentia, magnanimitas, fides, Re feliciter & ex voto utrobique confectâ, luculenter ostendisti. Vos itidem D. FALCKNERE & D. RIPPELI, TRIBUNI SPECTATISSIMI, avitam ambo Majorum vestrorum, qui jam dudum

Sena-

DEDICATORIA.

Senatoriâ & Tribunitiâ dignitate conspicuos, & Annalibus nostris vel laudatos vel laudandos Viros huic Urbi dederunt, Gloriam, Vestris virtutibus, meritis, & indefessis pro Bono Publico, susceptis curis & laboribus, non solum magna cum laude vobis vindicatis, sed & quotidie novis accessionibus augetis, ornatis.

Hæc, inquam, & quæ his similia, speciosè possem in hoc præloquio meo instituto prætexere, nisi talia essent, quæ ut omnes in Vestri cultum & venerationem merito invitant, ita etiam à quovis occuri possunt. Abundè satis causarum habeo, si ea duntaxat in censum voco, quæ in me & meos peculiariter extant incredibilia vestra beneficia, quæque hunc mihi Cultum non suaserunt tantum, sed extorserunt. Septuagesimus primus jam præterlapsus est annus, ex quo Pater meus b. m. natione Westphalus, primò pedem ex Academiis Germaniæ in hanc nostram Urbem & Academiam intulit, studii Theologici prosequendi gratiâ, Anno superioris sæculi 1588. Intulisse virgulæ Divinæ ductu, & occultâ quadam atque altiori vi, eventus brevi docuit. Quamvis enim novus & recens esset in hac Urbe hospes, juvenis, ignotus, amicis destitutus, mirabili tamen Dei providentiâ factum est, ut, cum eo tempore Cathedra Hebraica Professore viduata esset, & alium desideraret, ipse, præter omnem suam spem & expectationem, Procerum Academicorum consilio & votis (quòd ab aliquo in Hebraicis literis profectu & studio nonnullis innotuisset) ad specimina quædam publica habenda; & mox, cum illa placerent, ad vicariam Professionis Hebraeæ operam præstandam, è studiosorum subselliis eveheretur, & quasi è tenebris in lucem protrahere-

EPISTOLA

tur. In hoc munere humili obsequio suscipiendo, cum ille suam erga Academiam observantiam, in exequendo industriam, dexteritatem & fidem, in secundum annum probasset, & spem de se ulteriorem concitasset; ex succenturiato in Ordinariorum Professorum numerum ritè electus & ascitus, atq; ab Amplissimo Magistratu gratiosè confirmatus fuit Anno 1590. Ab eo tempore ut ille à sua parte Spartam, Dei solius munere, & Superiorum beneficio nactam, omnibus viribus per totam vitam exornare, Divinâ juvante gratiâ, est annisus: ita vicissim Amplissimi Magistratus perpetuum favorem & benevolentiam semper est expertus, quâ etiam factum, ut honesto annui Salarii augmento eum munerare & ornare voluerint. Largum hunc Vestrarum gratiarum & favorum rivum, Patre fato ante triginta hos annos functo, non clausistis, vel exarescere passi estis, sed continuo, imò uberiore fluxu, in Filium derivastis, me, qui honestum tunc in Urbis vestræ Ministerio locum occupabam, non solum in ejus locum, & iisdem conditionibus, vocando; sed deinceps etiam, quando, pio non minus quam laudatissimo consilio, novam Professionem Theologicam instituere decrevistis, eam, Hebraicæ meæ Professioni superadditam, singulari & haud vulgari cum favoris & benevolentiae testificatione, mihi, præter omne meum meritum, conferendo & demandando. Hæc utique, præter alia innumera privata in nos vestræ benevolentiae documenta, nec silentio dissimulari vel oblivione nobiscum sepeliri, nec ingenuâ confessione destitui, nec sine gratitudinis debitæ Testimonio prætermitti à nobis debuerunt. Ut aliquod ejus Monumentum etiam ad posteritatis memoriam extaret, illud in Exercitationum harum sacram

rum Ve-

DEDICATORIA.

rum, Vestris Amplitudinibus consecratarum vestibulo, ceu publicam Tabulam, erigere & statuere hac vice venerabundus volui. Id si pro vestra Autoritate & meritis exiguum nimis videatur fortassis, pondus & pretium addet Argumentum, quod maximum, è Dei quippe verbo petatum, & Affectus, qui syncerus & Vobis devotissimus: sit hæc Inscriptio loco Tabulæ tum Confessoriae, quâ quantum Vobis debeam, palam testatum faciam & profitear; tum Obligatoriae, quâ me ad omnia mea studia in posterum quoque, quamdiu Deus mihi vires, valetudinem & vitam concedet, bono publico, ad Academiae præsertim vestræ & Ecclesiarum usum, consecranda, bonâ fide obstringam.

Hoc, nec alio, animo atque affectu, oblatum vobis hoc quicquid est, & quantumcunque est, literarii muneris; ut æqui bonique consulatis, & sereno vultu & animo à me accipiatis, mihi que & meis, meis studiis & honestis conatibus omnibus, ut hætenus, ita proporro clementer favere pergatis, quâ possum & decet animi submissione observanter contendo. Sic Deus Vos, PATRES PATRIÆ, qui SCUTA TERRÆ nostræ estis, scuto suo fortiter protegat, consilia sapienter regat, actiones potenter fortunet, mala cuncta à vestra curia, aris & testis clementer avertat, bonis animi & corporis paternè cumulet, Pacem deniq; almam, quam unice quæritis, Vestræ urbi, terræ & regioni conservet, & à Vobis, ac per Vos, ad posteros & seros usq; nepotes propaget, per & propter Dominum Jesum Christum, ceu unicum nostrum Mediatorem! Amen! E' Musæo meo Idib. Augusti, ANNO à nato CHRISTO M DC LIX.

SUMMA PRIVILEGII

S. Romani Imperii VICARII.



AROLI LUDOVICI, Dei gratiâ,
Comitis Palatini, S. R. I. Archithesaurarii
& Electoris, ejusdemque in partibus Rhe-
ni, Sueviæ, & Juris Franconici, Proviso-
ris & Vicarii, Ducis Baviariæ, Privilegio
cautum est, ne quis ea, seu Propria, seu Pa-
terna Opera, quæ JOHANNES BUXTORFIUS Filius, S. Theologiæ & Lin-
guæ Hebrææ in Academia Basileensi Professor, suis Sumptibus,
vel de novo editurus, vel suo studio & labore recensita, locu-
pletata, aucta, notis illustrata, vel quacunque ratione emen-
data, recusurus est; ullo modo, sive collectim, sive divisim, in-
tra spacium viginti annorum, à prima editionis die cujusque
Operis computandorum, in S. Rom. Imp. imitari, interpola-
re, transformare vel recudere, aut alii recudenda dare, vel
etiam alibi impressa vendere, distrahere, clam palam, citra præ-
dicti JOHANNIS BUXTORFII, vel Hæredum ipsius, & jus
vel causam ab eo habentium, voluntatem & consensum spe-
ciale, præsumat, sub pœna amissionis Librorum illorum, &
multa Decem marcarum auri, partim fisco Imperiali, fraudis
vindici, partim dicto Impetranti, pendendâ; prout latius in
Originali habetur, Dato Heidelbergæ, XII. die Novembris,
Anno M DC LVII.



JOHANNIS BUXTORFI, FIL.

HISTORIA ARCÆ FOEDERIS.

CAPUT PRIMUM.

*De ARCÆ Fœderis Nominibus; & An
DEI Nomen, in primis Tetragram-
maton יהוה ei in Scriptura at-
tribuat?*



Præcipuis Reipublicæ Judaicæ
decoribus, quibus ea à Deo ornata
fuit, ARCAM esse FœDERIS,
nemo, Sacrarum literarum vel me-
diocri cognitione imbutus, ignora-
re potest. Non quòd ea vel ex præ-
stantissimis Cedrorum lignis esset
constructa, vel Auro intus & extus obducta, vel Ar-
tificio singulari, Bezaleelis ingeniosissimi manu, ef-
formata; sed propter adjunctam certissimam Gra-
tiosæ Dei Præsentia cum ea Conjunctionem, non
tantum Promissionibus ante ejus structuram, sed
postmodum etiam Reipsa sæpè miraculosè prorsus
declaratam. Unde factum, ut non tantum inter

A

Israëlitas, sed & inter Gentiles, & Arca, & Deus Israël
illi inhabitans, celebritatem & venerationem ma-
gnam mererentur.

Mandatum de Arca exstruenda habetur Exodi
cap. 25. à v. 10. usque ad v. 23. *Vocatio Bezaleelis*, Ibid.
cap. 31. & 35. *Fabricatio ipsa*, Ibid. cap. 37. à v. 1. ad 10.
Illatio ejusdem in Tabernaculum, cap. 40. v. 20. 21. *In*
Templum postmodum à Salomone exstructum, 1. Reg.
cap. 8.

Ejus Tractationem Historico-Theologicam hac
vice suscepturi, ut methodica illa sit, & omnia de ea
dicenda ad suum quæque accuratè locum referantur,
primò quædam de ejus *Nominibus* præmittemus: dein-
de *Realem* ejus considerationem, secundum *Causas*,
Effecta, *Subiecta* & *Adjuncta*, quod Deo Gloriosum, &
Ecclesiæ sit salutare; aggrediemur.

Ad *Nomenclaturam* Arce quod attinet, varia ea est in
Sacris Literis. ארון est *Arca* vel *Capsa*, sc. ad aliquid con-
tinendum & asservandum: sicut & pheretrum, in quo
ossa Josephi recondebantur, vocatur ארון, Genes. 50.
v. 26. R. Bechaj in Legem, fol. 101. col. 3. scribit, ארון
derivari ab אור *Lucere*, unde & אורה *Lux*, על שם שהתורה
על שם שבתוכו נקראת אור *propterea quod Thorah (Lex) quæ in ea*
erat, vocatur Or Lux.

Integrè & plenè vocatur ארון ברית יהוה *Arca fœderis*
Domini; quia in ea Tabulæ fœderis seu Legis Divinæ
asservabantur; & quandoque ארון הברית *Arca fœderis.*

ארון העדות *Arca Testimonii*, divinæ sc. erga homi-
nes voluntatis. *Testimonii*, h. e. Legis Divinæ, duabus
tabulis contentæ, quæ frequenter in Sacris Literis *Te-*
stimonium appellatur, ut vel ex Psal. 119. est videre.
Et absolutè עדות *Testimonium*, Exod. 16. 34. *Et posuit*
eam

ARCAE FOEDERIS. CAP. I. 3

eam (sc. Urnam Mannæ) לפני העדות *coram Testimonio*,
h. e. coram Arca testimonii, per ellipsin prioris Nomi-
nis substantivi constructi.

ארון ארון האלהים *Arca DOMINI*, ארון *Arca Dei*, ארון
אלהי ישראל *Arca Dei Israël* quòd symbolum esset præ-
sentia & gratia Dei, & ejus quasi domicilium.

ארון עז *Arca fortitudinis DOMINI*, 2. Chron. 6.
v. 41. Psal. 78. 61. & 105. 4. & 132. 8. quòd per eam
Deus fortitudinem & potentiam suam exereret, in
bello. Paraphrastes Chaldaeus in loco posteriore per
Fortitudinem intelligit *Legem*, reddens, את וארון רי ביה
אוריך *Tu & Arca, in qua est Lex tua.* Et inde per ellipsin
prioris Nominis Substantivi, עז *Robur, Fortitudo Do-*
mini, 1. Paral. 16. 11.

ארון הקדש *Arca Sanctitatis*, 2. Paral. 35. 3.

כבוד *Gloria Domini*, & absolutè הכבוד *Gloria*, quòd
per eam, & cum ea, Deus gloriam suam manifestaret:
vel, quòd in Arca habitaret Gloria, i. e. Deus glorio-
sus. Hinc 1. Sam. 4. 12. arcâ à Philistæis captâ, uxor
Pineæ, vocavit nomen pueri sui איכבוד *dicens, Trans-*
lata est כבוד Gloria ab Israël, quia capta erat Arca Dei.
Sic sumitur à quibusdam Psal. 63. 3. Sic intelligen-
dum quod Apostolus ait ad Rom. 9. 4. *Quorum (Israë-*
litarum sc.) est Adoptio, ראי ה' אלהים & Gloria.

קדש *Sanctitas*, Numeror. 4. v. 20. *Ne ingrediantur*
ut videant, כבלע את הקדש quando operient sanctitatem.
& *moriantur*, h. e. Arcam, ut Hebraei omnes explicant,
1. Reg. 8. 8. *Et extraxerunt vectes, apparebantq; capita*
vectium מן הקדש è sanctitate coram oraculo, h. e. ex ar-
ca. Sic enim pro eo habetur in loco parallelo 2. Pa-
ralip. 5. 9. מן הארון *ex Arca.*

קדש הקדשים *Sanctitas sanctitatum*, h. e. Res sanctis-

equidem non assequimur: Quod, inquit, in Timæo Plato physica naturaliq; ratione de Filio Dei dixit, cum ait; *Ἐξίωσεν αὐτὸν ἐν τῷ παντί* Decussavit eum in universo, à Mose id itidem acceptum ille protulit. Nam in Mosis scripta relatum est, tempore eo cum Israëlita ex Aegypto exirent, & in solitudine essent, obviam eis venisse feras venenosas, viperas & aspidēs, & serpentum genus omne, populūq; neci dedidisse: ac Mosen per eam quæ Dei dicitur inspirationem & instinctum as accepisse, & signum Crucis fecisse, idq; ad sanctum tabernaculum statuisse, ac populo dixisse; *Ἐὰν ἀποσπλήνητε τὸ τυπὸν τῆς σταυροῦ, καὶ τὴν σταυρὸν, ἐν αὐτῷ σὺνθεσέσθε*. Si inspexeritis typum & signum hoc, & credideritis, salvi in eo eritis. Quo facto serpentes extinctos esse scriptum est, populum autem exitium fugisse.

Quod ad Applicationem Typi attinet, eam Lectoris ipsius industriæ, vel ab aliis petendam relinquimus. Eleganter eam exponit D. Augustinus cum alibi, tum in primis Tomo X.

Sermone de Tempore IOI. Atque sic bono cum Deo præsentī quoque Exercitationi finem imponimus.

ברוך יי הנותן ליעף כח ולאין אונים
עצמה ירבה :

F I N I S.



INDEX CAPITUM ET QUÆSTIONUM.

I. DE ARCA FOEDERIS.

- CAP. I.** De Arca Foederis Nominibus. An DEI Nomen, in primis Tetragrammaton יהוה ei in Scriptura attribuitur? p. 4.
- CAP. II.** De Arca Causa efficiente. Quid sit Vocare Nomen? Quis fuerit Uri & Chur, quorum filius & nepos Bezaleel fuisse dicitur? A quibus donis & artibus Bezaleel commendetur? p. 22.
- CAP. III.** An Arca, quam fecit Bezaleel, sola inter Israëlitas fuerit? An verò præter eam adhuc alia, quam Moses fecit, quamq; Israëlita secum in bellum eduxerunt? pag. 32.
- CAP. IV.** De Materia Arca ex qua? Quæ & qualia fuerint ligna Schittim? Cur hanc Cedrorum speciem Deus elegerit? Unde ea Israëlita in deserto habuerint? Quomodo Auro fuerit intus & extus obducta? pag. 47.
- CAP. V.** De iis quæ in Arca fuerunt. An præter Tabulas etiam Volumen Legis, Virga Aharonis, & Urna Manne? Quomodo intelligendus locus ad Hebr. cap. 9. ubi dicit, in Arca etiam fuisse Virgam Aharonis, & Urnam Manne? An Sanctum Sanctorum habuerit Thuribulum aureum? pag. 53.
- CAP. VI.** De formâ Arca in Genere, ejusq; Ideâ Mosi à Deo in monte exhibitâ. Conciliatio Loci Mosaici Exod. 25. 40. cum allegatione Apostolica, ad Hebr. cap. 8. v. 5. pag. 77.
- CAP. VII.** De Forma Arca artificiali seu Materiali; Ejus Mensurâ, Coronâ, Annulis, Vectibus. pag. 85.
- CAP. VIII.** Quare Arca humeris, & quidem à Levitis, portanda fuerit? An ipsorum hoc officium fuerit peculiare, an cum Sacerdotibus commune? Quomodo eam portarint? & Cur vectes non educendi fuerint ex annulis? Quomodo cum præcepto de non educendis vectibus ex Annulis, concilietur locus Num. 4. 6. itē 1. Reg. 8. 8. ? p. 91.

INDEX CAPITUM

- CAP. IX. De Operculo seu propitiatorio Arca, & Cherubinis. Quid Cherubim fuerint? quæq; eorum forma? Cur non unum, sed duos Cherubinos facere iusserit? Cur ex auro solido? Cur alas sursum expanderint, & faciem deorsum? Utrum Tabula Legis fuerint illata in Arcam, antequam ei impositum fuit operculum, an postea demum? pag. 97. & seq.
- CAP. X. De Forma Arca Spirituali, seu Coniunctione presentia Divina gloriosa cum ea. pag. 106.
- CAP. XI. Columna Nubis & Ignis supra Arcam apparens, quales fuerint? Naturales, an Miraculose. pag. 111.
- CAP. XII. Nubes & Ignis ille, an duæ distinctæ vel conjunctæ res fuerint? pag. 117.
Quare Lux illa ignea appelletur Gloria Dei? p. 121.
- CAP. XIII. An Gloria Dei dicatur tam de Nube, quàm de Igne; An verò præcipuè & propriè de Igne? p. 119.
- CAP. XIV. Quis in hac Gloria apparuerit, & cuius rei Symbolum illa fuerit? pag. 125.
- CAP. XV. De Arca Causis Finalibus, pag. 144.
Quomodo conciliandus locus Exod. 25. 22. cum Levit. 1. 1.
- CAP. XVI. De Effectis Arca, tam Bonis, quàm Malis, in genere. pag. 152.
- CAP. XVII. De Effectis Arca Bonis in specie. Quare David in persecutione Absalomica eam secum habere noluerit, sed domum reducere iusserit? pag. 154.
- CAP. XVIII. De Effectis Arca Malis, quæ experti sunt. 1. Israëlita cæsi à Philistæis, 2. Bethschemeschita, 3. Uza filius Abinadab. An rectè seniores Israëlitis cladem à Philistæis sibi illatam acceptam retulerint Arca fœderis absentia, an verò non? Et qua de causa postea presente Arca ipsi fuerint puniti, Arca capta? p. 158.
Quodnam fuerit peccatum Bethschemeschitarum? p. 160.
Quæ eorum pœna, & quot ex illis morte sublatis fuerit? p. 163.
Quodnam fuerit peccatum Uza? p. 166.
- CAP. XIX. De Effectis Arca miraculosis in exteris gentibus, nominatim Philistæis, tum in Deo ipsorum Dagone, tum in populo. p. 169.
Quo sine Philistæi Arcam in fanum Dei sui, juxta Arcam reposerunt? pag. 170.

Quomodo

ET QUÆSTIONUM.

- Quomodo Deus hanc injuriam & contumeliam vindicavit? p. 171.
Cur Deus hoc miraculum per Arcam ediderit? p. 172.
